DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE EMPYEMATE.

QUAM

FAVENTE DEO OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Dn. Rectoris

D. FRIDERICI SPANHEMII, Fil. S. S. Th. Doctoris, Ejuſdemque Facultatis in Illuſtri Academiâ Lugd. Bat. ut & Antiquitatis Eccesiaſticæ, Profeſſ. Ptimarii, Eccleſiaſtæ diſertiſſimi, Acad. Bibliothecarii,

NECNON

Ampliſſimi Senatûs Academici unanimi Conſenſu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto*

PRO GRADU DOCTORATIS

Summiſque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis ritè & legitimè conſequendis,

Eruditorum examini ſubjicit

YSBRANDUS VAN ENTE, HARLEMO-BATAVUS.

Ad diem 31 *Mart. horis locoque conſuetis.*

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud ABRAHAMUM ELZEVIER, Academiæ Typographum. MDC XCII.

Spectatiſſimis ac Honeſtis admodum

VIRIS

D. WILHELMO BOSCHAART.

D. JOHANNI BOSCHAART.

NEC NON.

Doctiſſimo Conſultiſſimoque

VIRO

D. D. JACOBO BOSCHAART, J. U. D.
Cognatis ac Amicis meis Integerrimis.

Haſce Theſes Inaugurales

D. D. D.

YSBRANDUS VAN ENTE.

Auct. & Reſp.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
EMPYEMATE.

THESIS I.

Inter thoracis affectus *Empyema* non minimum obtinet locum, quippe multa ſecum ducens Symptomata. Si nominis proprietatem ſpectemus, ἀπὸ τȣ̃ πύȣ id eſt à pure derivari auctores cenſent; verum non uno ab omnibus modo intelligitur. Ab Hipp. & Galeno aliquando pro quavis alteratione ad pus, in quacunque Corporis parte ſubſiſtente, proprie tamen Medici definiunt Collectionem puris in civitate thoracis.

I I.

Differt autem empyema, ratione partis obſeſſæ, vel ratione cauſæ: ratione partis obſeſſæ, vel eſt partiale vel totale, nam cum thorax mediaſtino tanquam ſepto diſcretus ſit, nonnunquam dextram aut ſiniſtram (quod partiale eſt) interdum utramque partem materia purulenta opplet, tumque totale audit. Ratione Cauſæ, unde ortum ducit, vel eſt Idiophaticum quando pus aliunde non advehitur, ſed in ipſa thoracis capacitate gignitur, vel eſt Symphaticum quando materia purilenta alibi genita ad ipſam cavitatem defertur.

I I I.

Lubet differentiis ſic è ſuis fontibus deductis ſigna quædam diagnoſtica hujus affectus enarrare. 1. Febris lenta & continua quæ hecticam refert., 2. difficilis reſpiratio, 3. pondus pectoris & ſenſus gravitatis, 4. fluctuatio in pectore, niſi materia nimis copioſa ſit aut nimis craſſa, 5. tuſſis moleſta, 6. ſputum

tum purulentum, 7. horor totius corporis, 8. genarum rubor, in ea potiſſimum parte in qua pus in thorace continetur, 9. ſudor copioſus ac fætidus &c. Omnia autem hæc ſymptomata ſemper & ab initio morbi, hunc affectum non concomitantur, ſed pro cauſarum varietate, ac malignitate proque ſtatu morbi diverſo, nunc hæc, nunc alia adſunt ſymptomata.

I V.

His ita præmiſſis ſupereſt ut ad cauſam Empyematis me accingam. Cauſam proximam ſtatuo materiam purulentam in cavo pectoris congeſtam; Hæc autem fit vel Idiophatice, vel ſympathice: Idiophatice, quando ſanguini intra thoracis alveum effuſo, ibidemque corrupto, & in pus converſo, ortum debet Eypyema. Quod Divinus noſter Senex clare ſatis affirmat *Aph.* 20. *Sect.* VI. *Si ſanguis in ventrem præter naturam effuſus fuerit ut in pus vertatur neceſſe eſt.* Sympathice, quando materia illa purulenta à morbo aliquo præcedente alibi producta ad pectoris alveum defluit, uti à pleuritide, peripneumonia, angina, aliiſque fieri, digniſſimi obſervationum ſcriptores luculentam nobis faciunt fidem.

V.

Cauſa antecedens eſt extravaſatio ſanguinis in pectoris cavo.

V I.

Hæc autem contingit vel vitio vaſorum, vel vitio ſanguinis. Vaſorum ſi hæc præ intemperie frigida & humida nimis laxa fuerint. Vel tenerrimæ texturæ unde facilis diſruptio: quas cauſas adjuvat pulmonum vehementior agitatio, ut vociferatio cantus &c.

V I I.

Sanguinis vitio vel quantitate nimia, vel qualitate: quantitate vaſa mole ſua diſtndendo eorundem diſruptionem cauſat.

V I I I,

Qualitate peccans ſanguis eaque potiſſimum acri tunicas vaſorum erodit eorundemque unitatem ſolvendo, ſanguinis effluxum excitat.

I X.

Cauſæ procatarcticæ, quæ neceſſario nobis eveniunt in ſex rebus non naturalibus illegitime uſurpatis, ſanguinemque immutare, & ad ſui faciliorem extravaſationem diſponere aptis, quæ-

quærendæ ſunt, inter quas primum locum ſibi vindicat aër qui nimia caliditate ſua ſanguinem nimium attenuat, rarefacit, eoque nimium rarefacto, vaſorum latera diſtendit, ſic ruptionem efficit, vel è contra nimium frigidus calidiori ſubito ſuperveniens, quatenus obſtructionibus anſam præbet, unde ſanguinis motu impedito, ejuſdem ſtagnatio, hinc corruptio, & vaſorum apertio, & ſanguinis extravaſatio ſequitur, quam Empyematis cauſam eſſe, Theſi 3. dictum eſt. 2. Alimenta ad plethoram uſque uſurpata, à qua produci poſſe Empyema Theſi 7. aſſertum eſt. Denique omnia acria vi inflammandi & erodendi prædita, uti ſunt calidiora diutius uſurpata, vel ſalſa acria & amara, vinum generoſum, piper, zinziber, ſulphur, uſus tabaci, reliquaque omnia fervidiora. 3. Animi pathemata quatenus aliquid conferunt ad acrimoniam ſanguinis augendum, ut ira excandeſcentia, & ſimilia quæ ad caliditatem vergunt, quibus etiam addi poſſunt ea, quæ ſanguinem incraſſando obſtructiones inducere apta nata ſunt, uti ſunt mœror, triſtitia, metus, deſperatio &c.

X.

Nunc porro lubet prognoſin inſerere ex mente Galeni ac Hippocratis. Galenus 4. *de locis affectis cap.* 7. inquit, *Empyici quibus ob magnam puris copiam totus thorax in reſpiratione attollitur celerrime ſuffocantur.* Hipp. quoque *Aphor.* 15. *ſect.* 5. *Empyema ſi quadraginta dierum ſpatio per ſputum non expurgetur in tabem degenerat, quæ mortem accerſit.* Ex quibus ſane verbis, *Empyema* morbum eſſe curatu valde difficilem facile eſt conjicere.

X I.

Sola nunc reſtat curatio, quæ eo dirigenda eſt, ut materia ad expectorationem promoveatur, medicamentis emollientibus, expectorantibus, & puris acrimoniam temporantibus, talia ſunt, rad. altheæ, Chinæ, conſolidæ, liquiritiæ, bardanæ, ſalſæparillæ, iridis florentinæ, apii, fœniculi &c. Herbæ & flores, capill. veneris, malva tuſſilago Hyſopus, flores papaveris rheados, ſtæchados, roſarum rubrarum, pallidar crocus, lignum guajaci, ſaſſafras, ſantalum citrinum, ſemina & fructus, jujubæ, ſebeſten, amygdalæ dulces, uvæ paſſæ, corinthiacæ, ficus, ſemen aniſi, fœniculi dulcis &c. ex quibus omnibus medicus pro ægris libitu (ad quem ſeſe accommodet neceſſum eſt) Apoze-

mata mixturas, hauſtus, bolos, pulveres, facile concinnare poterit, ut e. g.

℞. Ligni ſanct. ℥jß.
Rad. chinæ ʒvi

Coquantr. S. A. in B. M. in aquæ com. ℔iv. poſtea addendo
Cort. lign. ſaſſafras ℥ß
Rad. liquirit. ʒiij, irid. flor. ℥ß
Herb. Hyſop.
Capill. v.
Malvæ
Farfaræ ana mj
Flor. papav. rhæad. mß
Sem. fœnicul. ʒij

Coquant. Denuo leniter per horam Colaturæ ℥xxxij addendo
Hydromelit. ſimpl. ℥iv
Syr. jujub.
Papav. errat. ana ʒvi
M. F. Apoz.

Vel in forma mixturæ ut

℞. Aq. Hyſop.
Fœnic. ana ℥ijß
Theriacal. ſ.
Hydromelit. ſ. ana ʒvi
Oculor. cancr.
Sperm. cet. ana ℈ß
Balz. peruvian.
Balz. ſulph. aniſat. ana gutt. vi.
Syr. altheæ fernel.
Papav. alb. ana ʒiij
Tinctur. croc. ʒj
M.

Capiat ſubinde cochlear unum.

XII.

Commendantur præterea trochiſci bechici, ſacchar. altheæ, ſuccus liquiritiæ tam ſimplex quam aniſatus, trochiſci ex ſpec. Hal. ad tuſſim, ſpecies diatragacanth. frigidi, tabellæ roſarum.

XIII.

Alvus ſi ſit aſtricta medicamentis blande purgantibus ſubdu-

ducenda eſt. Ut Caſſia, manna agarico, fol. ſenn., turbith., mechoacann., polypod., hermodact. &c. ut

℞. Fol. ſenn. ℥ij
Rhei. elect.
Mechoacann. ana ℥ß
Infundantur per n. in ſ. q. aq. fœnicul. in colatura ℥ijß diſſolve
Mannæ elect. ʒvj
Aq. cinamom. ʒj
M. F. Hauſtis.

Vel Enemate emolliente & leniente ut

℞. Decoct. emoll. &
Carminant. ℥ix
Elect. benedict. laxat.
Diacathol. ana ℥vi
Ol. lilior. alb.
Amygd. dulc. ana ℥ij.
Aniſ. deſtill. g. x.
M. F. Clyſter. calidè injiciendus.

X I V.

Hiſce remediis ſi nequeat expurgari pus, ad Chyrurgicam operationem paracenteſin. deveniendum eſt, quæ fit in dextro latere inter quintam aut quartam Coſtam, in ſiniſtro vero inter tertiam & quartam ab infima Coſta numerando & apertio fit quatuor digitos tranſverſos ab apophyſibus ſpinoſis dorſi, & quidem digitos ægri, quia ejus oſſa ſunt proportionata, à parte poſtica ad anticam, à ſuperiore ad inferiorem dorſo ſcalpelli vel cuſpide depreſſo, lateri aperto, argentea vel plumbea cannula eſt immittenda, eaque paululum incurvata, ut ſic per eam, intetpolatis vicibus materia purulenta educatur.

Malum enim eſt omne pus ſimul ac ſemel evacuari, ſi pus non recte profluat in latus affectum decumbat æger, & tuſſim moveat, quod ſi nondum ob viſciditatem fluat ſiphone medicamenta quidem detergentia & conſolidantia in pectoris cavum injicienda ſunt, qualia ſunt rad. apii, conſolid. m., gentian. &c. Herb. marrub., beton., ſcord., hyperic., abſinth., mel, thus, aloes, myrrh., terebinth., ex qnibus pro renata, variæ injectiones proſcribi poſſunt. ut

℞. Herb.

℞. Herb. ſcord.
abſinth.
Salviæ
Marrub.
Agrimon. ana mjʃ
Flor. Hyperic.
Roſar. rubr.
Stæchad. ana p. I.

Coquantur leniter in vaſculo bene clauſo ſtanno obducto in aq. Roſac. & Hydromel. ſ. ana p. æq. colaturæ ℥xv. admiſc.

Mell. roſac. ℥j
Pulv. aloes
Myrrh.
Maſtic. ana ℈ij

M. F. injectio.

X V.

Symptomata Theſi 3. enarata ablata morbifica cauſa ſponte evaneſcunt, quod ſi quædam urgentiora ſint, qui morbi curam remorantur, mitigari poſſint ac debent, dolor itaque ac tuſſis mitigari poterit medicamentis temporantibus ſyr. quodam pectorali aut mixtura ſuperius præſcripta cui ſi dolor admodum urgeat nonnihil laud. opiat. addi poterit, mitigatur item tuſſis vel pillulis de ſtyrace, vel de Cynogloſſa &c. Febris curari aut mitigari ſaltem, poterit medicamentis blandis oleoſis & acidum infringentibus ut, oculis cancrorum, antimonio diaphoretico, bezoardico minerali, ſolari, Martiali, Joviali, Croco Orientali, lapide bezoard. genuino, margaritis pp., unicornu vero, corallis, lapidibus quinque prætioſis, Cornu C. Philoſoph. præp. Confectione Hyacinthorum, alkermes &c.

X V I.

Diætam quod attinet aër ſit moderate calidus & ſiccus, cibus ſit boni & multi ſucci concoctu facilis uti ſunt juniorum animalium carnes, pullorum gallinæ, vitulinæ, ex iis parata juſcula, ova ſorbilia, lac etiam in hoc affectu valde utile eſt, utpote temporans, conſolidans, ac bonum alimentum præbens, atque ſic cum bono Deo, cui ſit honor & gloria, huic noſtro negotio finem imponimus.

F I N I S.